



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXIV. De Marcellini Papæ Lapsu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

## CONTROVERSIA XXIV.

D E

*Marcellini Papæ  
Lapsu.*

**C**AIO Romano Pontifice unâ cum Gabino fratre ob fidem Christi gladio persecutoris crudeliter inrempo, in eadem Sede Apostolica post bimestre successit Marcellinus, patriâ Romanus; quem Eusebius, & quod mireris, qui ejus Chronicon persecutus fuit, Hieronymus, item Nicephorus Calixtus *Lib. 6. cap. 34.* & Nicephorus Episcopus *in Chron.* passimque Græci cum Marcello Pontifice confundunt: cum tamen certum sit, quod hic illi immediatè successerit. Eusebio id quidem aliquatenus condonandum, quod in Oriente scribens eorum, quæ in longè distitis Hesperii partibus Orbis sunt gesta, certam non potuerit nancisci notitiam: neque illarum Ecclesiarum recondita Cartophylacia, in quibus Episcoporum ordinata series continebatur, impexerit: sed corruptos aliorum Catalogos sequi necesse habuerit: adeoque, qui illius Scripta legendo hujusmodi menda non perspexerit, hoc observans, inesse facile admittet. Marcellinum & Marcellum distinguunt Optatus Milev. *Lib. 1. cont. Parm.*

Augustinus Epist. 165. & Latini: plerique Præfuit autem Marcellinus iste in magna temporum calamitate ad Sæculi III. finem & IV. initium: de quo passim circumfertur, quod in persecutione Diocletiani, temporis diuturnitate, tormentorumque acerbitate omnium gravissima, ab Imperatoris satellitibus Romæ comprehensus, ac diis sacrificare iussus, metu intentatæ mortis periculis fractusque idolis thura adoleverit. Quo juxta Euripidis phrafin, malorum ultimam lineam attigisset, dum in malorum omnium extremum, ut Basilii Idololatriam appellat, turpiter incidit: quod quidem scelus ipso maximum, in patrantis persona summa transcendit vestigium. Nam

*Omne visum animi tanto confectum  
in se  
Crimen habet, quanto major, qui peccat,  
habetur.*

Igitur Marcellinus Pontifex maximus maximam sibi infamiam, Ecclesiæ universæ ignominiam, pusillum scandalum, curâ Christi-

Christianis gemebundum hoc facto intulisset dolorem. Cumque esset factus forma gregis, sua reprehensibili pusillanimitate pessimum exemplar effectus fuisset. Quis Petri cymbam rapida exurgente sævissimæ persecutionis procella, quæ in exterminium Christianæ Religionis concitata fuerat, mundumque universum inundaverat, atque innocuorum cæde cruentarum, non credidisset tumidis hauriendam gurgitibus; dum videret illius navarchum, mortis larvâ exterritum, relicto propudiosè clavo, excidisse animo, ruptaque Sacrà anchorâ, funestissimum fecisse fidei naufragium? In se reversus, arreptâ nihilominus mox tabulâ secundâ in portum fugisse refertur, quando à Concilio Sinuessano citatus, crimen passus, proprio iudicio damnatus in cinere & cilicio humilem poenitentiam peregit: ac denique ex lapsu vegetior sævienti tyranno caput objecit: atque anno Æræ Christianæ 304. die 26. Aprilis martyrii palmam gloriosè obtinuit. De hoc tamen quidam curiosioli subdubitare volunt.

Marcellini Pontificis lapsum hunc narrant priorum sæculorum historici passim omnes ex Libro Pontificali, suoque calculo confirmant Marianus Scorus, Platina, Wernerus Rolevinck, Joan. Baptista Mantuanus, Genebrardus & Recentiores non pauci. Baronius, postquam varia in contrarium eruditè discutienda proposuisset, studio veritatis, argumenta ad an. Christ. 302. & seq. citatorum tamen opinioni adhæret, quibus adjungendi Binus Colonienis, Benazie Agenis, Dissert. 7. Schelstrate Antverpiensis Canonici, qui in probationem narratæ rei adducunt.

I. Acta Concilii Sinuessani vetustissima, passimque ab eruditè examinata atque communiter recepta hanc historiam de Marcellino recto ordine pandunt; de cujus veritate nullum præcis temporibus dubium unquam morum fuit. Eadem reperitur in Pontificali

Romano, quod creditur esse opus Damasi Papæ, compendiosè his verbis comprehensa. *Marcellinus ad sacrificandum ductus est, ut ibi sacrificaret; quod & fecit. Et post paucos dies poenitentia ductus ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio, Cyrino & Antonio capite truncatus est & martyrio coronatus.* Quæ Anastasius Bibliothecarius ex antiquis cætypis probatis desumpsit. Vita ipsa Marcellini, ex vetusto manuscripto Codice, circa tempora, ut fertur Juliani Imperatoris exarato, novissimè opera insignium hagiographorum Henschenii & Papebrochii edito, hæc de lapsu Marcellini Pontificis Romani luculenter exhibet. Eadem Luitprandus Ticinensis Diaconus sæculi X. Historicus fidelissimus ex antiquissimis monumentis, & membranis primorum sæculorum fœnerata posteritati communicavit. Meminit quoque hujus lapsus Nicolaus I. P. M. ad Michaëlem Imperatorem hoc tenore. *Tempore Diocletiani & Maximiniani Augustorum Marcellinus Episcopus urbis Romæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeo compulsus est a Paganis, ut in templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret. Cujus rei gratiâ collecto numeroso Concilio Episcoporum, & inquisitione facta, hoc se idem Pontifex egisse confessus est.* Denique Sanctus Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis aliique non minorum gentium Scriptorum orthodoxi præcedentium sæculorum, usque ad nostra tempora constantissimè de Marcellino illud asseverarunt, & velut rem indubitam posteritati consignarunt.

II. Univerfa Ecclesia Catholica hanc de Pontifice Marcellino historiam, ut verissimam recipit, quam proinde Martyrologis & Romano Breviario insertam voluit. Testatur autem Sanctus Pius V. in Bulla, huic Breviario præfixa, correctores ab antiquis urbis Romæ ac Bibliothecæ Vaticanæ Breviariis non recessisse: sed graves in eo genere Scriptorum secutos esse; removendo ea, quæ

aliena & incerta essent. Cùm itaque præfati correctores ad diem 26. Aprilis historiam de Marcellino in emendato Breviario reliquerint; & etiamnum extet in eo, quod auctoritate Clementis atque Urbani VIII. fuit recognitum; nullus amplius dubitandi remanet locus, quod tanquam vera fuerit agnita & approbata: minusque integrum erit contra ejusdem authenticam agere aut historiam penitus falsam reputare. Sicut, licet Baronius rationes in contrarium attulisset, attamen profiteretur, quod non intendat de Marcellini lapsu opinionem, ore omnium distammatam, antiquare, quæ & communi omnium consensu appareat posse esse credita; atque in antiquis, cùm Romanæ Ecclesiæ tum Authorum Martyrologiis aliorum, nec non in Breviario Romano recepta, & absque Controversia ulla retenta.

Nihilominus re in Gerasiam literariam deducta, non pauci reperti sunt, qui Marcellino patrocinantur, quibus adnumerandi Bellarminus priorem sententiam retractans, Theophilus Raynaudus Perronius, Christianus Lupus, Nar. Alexander, Nanus Tillemontius, &c. qui narrata de Marcellino, ut vera admittere in tantum detrectant, ut veritatem specie velint omnimode destituta, conformiter ad illud Seneca. *Difficillima est cuiusvis gravissimi sceleris fides.* Hæcque pro innocentia viri Sanctissimi in medium producant.

I. Facti quæstio est hæc; proinde testes coævi aut suppetes producendi, qui illud asseverent: sincerissimi autem historici seu primorum sæculorum Scriptores hunc Marcellini casum silentio prætereunt, illum tamen minimè occultassent, neque ignorare potuissent, quem Gentiles magnâ suâ gloriâ per orbem diffundissent. Si Græcos de Marcello Authores consulas, ait Baronius, satis constat non novisse ejus, lapsum, &c. de eodem Pontifice Eusebius *Lib. 7. Hist. Eccles.* editionis Christophorianæ *cap. 26.* notat.

*Marcellini temporibus persecutio, in qua ipse Martyrio occubuit, exorta est. Theodoretus liberalis animi candore historiographum Lib. 5. histor. Eccles. cap. 3.* in eo Marcellinum commendat, quod fuerit vir perfectionis tempore plenè nobilitatus; ergo nequaquam auro corruptus, ut acta ferunt, ludrici numinis scelestus adorator, quo profectò plenitudinem nobilitatis diminuisse, & adoxiam contraxisset. Hunc verò Theodoretum subreptum notitiæ tam decantatum lapsum & facinus publicum, quis sibi persuadebit. Certe S. Augustinus huic sancto Antistiti egregiè patrocinatur dum *Lib. de bapt. cap. 16.* contra obtrectatores stylorum acuit hoc modo. *Quid jam opus est, ut Episcoporum Romana Ecclesia, quos incredulibus calumniis insectatus est Petilianus, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & presbyteri eius Milchiades & Marcellus & Sylvester traditores Codicum divinatorum, & thurificationis ab eo criminis arguuntur: sed nunquid ideo convincuntur; & convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo. Quid laboro probare defensionem meam; cum ille non reverter conatus sit probare accusationem suam?* Roscium nactus est S. Marcellinus, quando Augustinus, rerum arbiter, unus inerat omnium tam patulè, tamque strenuè innocentiam Pontificis defendendam suscepit. Eò autem impudentiæ sanctum Doctorem dilapsum, ut Marcellini idololatriam scilicet negare ausus sit, nemini in mentem venit, quisquis Augustinum novit.

Erit forsàn, qui argumentum inficiale esse obtendat: sed adimat, si possit, hoc argumenti genus Philologis & Historicis; & vix una vel altera spuria narratio à genuina discerni poterit. Nulla magis apta disputandi methodus, quàm, qui usurpat argumenta prostratæ materiæ convenientia, id est, quæ negantibus utitur ad inficiandum. Cùm enim

enim de facto quodam ferendum est iudicium, de non exstantibus, & non apparentibus idem esse debet. Cæterum, quæ Marcellinum gravare videntur, haud gravatè, utpotè exigui ponderis, elevari credunt.

Ad Primum Respondetur. Acta Concilii Sinuesensis, quantumcunque vetustatis sibi vendicent, esse pseudepigrapha suadet imprimis styli barbaries & narratorum magna confusio. Sunt absonæ loquendi formulæ, metaphoræ frigide ac prorsus ridiculæ, contradictiones palpabiles, narrationes fidem excedentes. Quod si, furente Decio, ne quidem Clerus Romanus convenire poterat, ut, mortuo Fabiano Pontifice, eligeretur Successor propter rerum & temporum difficultatem, ut legitur in Epistola 31. S. Cypriani, adeoque Sedes integro anno & 4. mensibus vacare debuerit, non apparet quomodo in persecutione Diocletiani, quæ omnibus diuturnior & immanior est habita, sicut Platina scribit, potuerint convocari trecenti Episcopi: præsertim cum tempore Constantini Magni, quando Ecclesia amplificata, plena agendorum libertate florebat, quantumcunque pius Imperator molitus sit, non nisi 318. Patres Niceæ convenerint.

Præterea in Collatione Carthaginensi, anno Christi 411. instituta, orthodoxi adversarius suis difficillimè persuadere potuerunt, durante eadem persecutione, imo eodem anno congregari potuisse duodecim Episcopos, quemadmodum Baronius ipsemet observat: cum tamen, si Concilium Sinuesense celebratum fuisset, haud difficile iis fuisset pertinaces suos adversarios convincere, multo plures actu convenisse, producendo huius Concilii acta: Atqui hoc non factum, quantumvis Africani Præsules eidem Concilio interfuisse perhibeantur. Quis verò id sibi persuasionis induat, orthodoxos in Collatione Carthaginensi tam famosa acta Synodi Sinuesensæ ignorasse? Nec est, quod di-

catur Episcopos illos in hypogeis, seu cryptis subterraneis clanculò convenisse: quia non poterant illuc venire, indè exire, aut intrare, quin eos plures numero oculatissimi non observassent.

Deinde narratur, quod unica vice quinquaginta interfuerint Episcopi, quodque Caverna Cleopatrensis, in qua congregati erant, plures non caperet; reliqui deinde ab examine huius negotii fuerint remoti; & nihilominus 300. Episcopi dicuntur interfuisse Concilio, quando Marcellinus comparuit; quæ invicem conciliati nequeunt. Principalis etiam sacrificulus Paganus vocatur *Pontifex Capitolii* eique incensi oblatio demonstratur exemplo Magorem Christum incens adorantium; quæ meræ inceptæ sunt. Marcellinus in Jovis Vestæ & Ididis templum introductus fuit: cum interim antiquorum perhibeant monumenta, cuius dextro propitium fanum extractum fuisse. Ridiculum est, quod subalterni Pontifices illi invicem disputantes arbitrum constituerint Diocletianum, cui ipsi erant subiecti.

Narratur insuper, quod centum Christiani in templum venerint ad spectaculum, quorum nomina Africana, eaque satis ridicula exprimuntur. At quis nescit, quod Christiani tunc occultati potissimum laterent in abstrusis cautè speluncis? quibus etiam spectacula erant omnino prohibita, quæ ut plurimum, teste Tertulliano de *spectac. cap. 13.* erant idololatrica. Quanto minus ut bene subinfert Nat. Alexander, Ecclesiastica disciplina permetteret ingredi fanum, ut solemnem idololatriæ actum aspicerent? Paradoxum est, quod mysticus testium numerus sit adhibitus, scilicet 72. & inter hos publicus adulter: qui tamen omnes frustra videri possent convocati; quando Patres post horum depositionem ad Marcellinum dixerunt. *Tu eris Judex: ex te enim damnaberis, ex te justificaberis. Quia prima Se-*

des à nemine indicatur. Quasi verò Marcellinus fuisset unquam ausus suum crimen negare in tanta spectatorum multitudine à se patratum. Falsum quoque est, quod Marcellinus purpuram deposuerit: quia à vero remotum est, istis temporibus Pontifices tyrio corruscasse ostro. Rem pariter valde suspectam reddit, quod omnes Episcopi subscripti, sint ignoti, qui Episcopatum loca, ut aliàs moris erat, non addiderunt.

De Chronotaxi non est ambigendum, quin falsa sit. Narratur siquidem, quod Diocletianus Imp. condemnationem Papæ Marcelli intellexerit. *Quando cum Persis bella gerebat.* Ast in comperto habetur bellum Persicum fuisse finitum, antequam tyrannus persecutionem in Christianos intentasset, multòque ante octavum Maximiniani Consulatum, quo Marcellus damnatus esse scribitur. Baronius, ut acta ab hac apertissima falsitate purgaret, pro his verbis. *Dum esset in bello Persarum, rescribi legique voluit. Dum reversus esset à bello Persarum.* Tantum licentiæ viro magno dabat acquisita meritum gloria, partium urgebat studium

*Sic pergit pugnantia secum  
Frontibus avertis componere.*

*Horat. Sat. 1. Lib. 1.*

Atqui hoc non est de suis opinionibus ex veterum Scriptis: sed, juxta regulam Lesbiam, de iisdem accomodatè ad suas opiniones ferre judicium; malè corrigere, ut bene præjudiciis possint inservire.

Illud quoque excogitatæ Synodi extenuat probabilitatem, quod illam Orbis nosceret & unum præteriret Augustinum, ut Baronius animadvertit; cum tamen Romæ tam diu versatus fuisset. Quod autem ne vel minima quidem ejusdem Concilii fama ipsum afflaverit, ex eo satis liquet, quod *l. c.* innocentes pronuntiet Marcellinum, Melchia-

dem, item & Sylvestrum, quia nulla documentorum firmitate convincuntur; addeque supervacaneum esse illorum probare innocentiam, quia calumniator Petilianus accusationem suam nec tenuiter quidem conatus fuit probare. Huic autem perquam facilis fuisset probatio; si Synodus celebrata fuisset. Quod autem idem sanctus Pater Canones Nicæni Concilii ignoraverit, ut Baronius pariter subindicat, illud minus mirum videri debet, quàm quod numerosi cæcus, Romæ cum eruditissimis viris versatus, nullam prorsus acceperit notitiam: quandoquidem ea tempestate rara admodum in latinam linguam translata in Africæ Ecclesiis reperiebantur exemplaria: id, quod patet ex Concilio Carthaginensi VII. an. 419. celebrato, ubi *cap. 9.* Patres scripserunt Antioch. Alexand. & Constantinop. Ecclesiarum Episcopis, ut exemplaria Concilii Nicæni mitterent in Africam.

Sunt, qui ex denominatione loci rem falsitatis arguant, quasi Sinuessæ antiquis profusus fuerit ignora Scriptoribus. Verùm ipsi falluntur: liquidem Ovidius *15. Met. Horat. 1. Satyr.* Suetonius in *Vitellio* illius meminerunt. Plin. *Lib. 3. cap. 5.* Sinuessam dicit oppidum novi Latii extremum, non procul à Liri fluvio. De ea Livius *Lib. 10.* Item Strabo *L. 5.* *Sinuessæ in Setano sita est sinu, à quo nomen vendicat.* Fuerit interim Sinuessæ ignobile quoddam oppidum, quod tabida vetustate vel collapsum, aut belli injuriâ interierit: in eo Concilium tam numerosum, ac in causa tam celebri fuisse celebratum, ignorarunt Eusebius, Hilarius, Rufinus, Hieronymus, Epiphanius, Sulpitius, Orosius, Augustinus, Dionysius exiguus, Prosper, Beda, qui aliàs præsentæ hujus Synodi; si non integros Canones, saltem ex parte produxissent.

Quibus alia de Marcellino Pontifice insua est opinio, subruendæ hujus, ut fertur antiquissimæ historiæ machinas illas irritò conatu adhi-

adhiberi afferunt; obduntque quod licet in citatis actis hinc inde quædam reperiantur severioribus Criticis omnino falsa, aut aliquibus inepta, minusve videantur convenientia; cætera tamen nequaquam debeant reputari falsa. Sic enim omnia ferme sanctorum acta antiqua in discrimen adducuntur: cum in plerisque, ut ipsemet Baronius in *Martyr. ad 9. Octobr.* notavit, reperiantur corrigenda, puta metachronismi, asystata, mendæ transcribentium, emblimata &c. neque inde proflus contemnenda reliqua. Dudum est quod Petrus Damiani *præfat. in vid. S. Romualdi* fuerit conquestus de nonnullis, qui se Deo deferre existimant, si in extollendis sanctorum virtutibus, mendaciis acta repleant, putantes Deo, qui est ipsa veritas, relicta veritate, falsitatis posse placere commento. Scriptura sine errore sola est divina cæteræ saltem sunt erroribus obnoxie. Hinc S. Augustinus *Epist. ad Vincent.*: de quorumlibet etiam Sanctorum Scriptis discurrens. *Hoc genus, ait, litterarum ab auctoritate Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ex eis ista testimonia proferrantur, ut in nullo contra sentire liceat.* Et si proinde quædam in acta sinuellanæ synodi minus verisimilia, vel describentium incipientia, ignorantia, aut malevolorum temeritate irreperierint, quæ cum vera chronotaxi, aliisve circumstantiis consistere nequeant; ejus tamen propugnatores nolunt concedere, inde acta universim vitari, ut nullam fidem mereantur. Excoquantur, ajunt scoria; tollantur mangonica & recrementata; nemo eorum actorum ex his fidem vel revincere, vel illa suspecta imposterum habere poterit.

Atque hæc omnia ut ab iis non omnino gratis dicta sunt, non videntur posse acta illa justificare & spuria legitimare. Neque enim, fucatis falsisque etiam exasciatis falsitatum argumentis, sincera tunc cenferi

possunt, præsertim quando pigmenta & figmenta unâ permixta in unum velut corpus cum vulgo credita narratiuncula coaluere; quia veri species, probabilitas, fidelque omnis eidem tunc admittitur. Porro multorum fert opinio hæc acta prætenæ synodi à Donatistis hæreticis, Romanæ Ecclesiæ infensissimis, in hujus odium conficta esse; quatenus ipsi eorumque posterii haberent, quod fugillarent, ac orthodoxis exprobrarent summum caput Ecclesiæ in cultu veræ Religionis manifestè & turpiter defecisse. Ipsemet Augustinus, qui Donatistas tam acriter perstrinxit, inter recentia illorum commenta recenset, quæ nulli veterum in mentem venerunt: quidni ergo eo tempore enatum ac longè latèque dispersum rumorem, ac postea ab imperitis sine discussione litteris consignatum de lapsu Marcellini fidem apud vulgus credulum invenisse dicemus? Negat quidem hoc ipsum & obstreperit Binus Conciliorum Collector in *not. ad sinuess. concil.* vultque Donatistas hæc acta nequidem cognovisse: eorum proinde fabricam esse non posse. Hoc nititur probare ex S. Augustino qui l. c. scribit.

*Lapsus Marcellini Donatista quidem Catholicis objecerunt: sed crimen ab eo commissum hætenus non probaverunt* Ubi utique; ut Binus argumentatur sanctus Præsul iisdem Donatistis objecisset; si quod ex adverso prætenditur, hi de suo hujusmodi finxissent. Illud verò argumentum Binii retorsionem subit. Quod si Donatistæ Marcellini lapsus Catholicis objecerint, ergo cognoverunt: quod enim non est cognitum, objici nequit. Deinde si hætenus, Augustino advertente; nondum probaverint lapsus, quod potuissent, dommodo acta sincera & genuina extitissent; sequitur ab ipsis conficta fuisse. Quæ; cum nullam probandi vim haberent, allegare intermiserunt, ne aperti Augustinus illos argueret criminis.

Sed nondum res confecta videtur, urgente Schelstratio quod Donatistæ Marcellini, Sylvestri, Melchiadis & Marcelli pariter postea Pontificum ignoraverint lapsum: hos autem etiam fuisse lapsos Petilianus finxit, historiamque Marcellini urgebat; de quo, si acta Donatistæ confecerint, certo certius & lapsum Melchiadis interuissent. Hoc autem cum intermiserint, signum manifestum est, hæc acta non fuisse à Donatistis composita. Id ipsum ut clarius percipiatur; sciendum est ex Augustino, unde exprobratio illa Donatistarum originem trahat. Causa Cæciliani Episcopi Carthaginensis contra Donatum, renitentibus multumque protestantibus, atque malè sibi timentibus donatistis, ab Imperatore Constantino erat commissa Melchiadis Papæ aliorumque adjunctorum Episcoporum iudicio. In hac causa cum Donatus succubisset, Melchiadisque sententia, frementibus sectariis, in Concilio Arelatensi, per eundem Constantinum convocato, ratificata fuisset; exceperunt contra Melchiadem. Ut verò hunc non posse esse idoneum iudicem probarent, victi & irati imperatorem stimã, ut Augustinus loquitur, audaciã, objecerunt, quod fuisset unus ex Marcellini clericis, qui cum eodem thura sacrificassent; quod S. Pater I. c. ut improbable fictumque rejicit, ac subiungit. *Si nulla humanitas in rebus humanis, puto nos posse iustius reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, neque eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius, quam innocentes crediderimus.* Quoniam verò Sanctus Doctor lapsi in Marcellini negat ex eo capite, quod sibi erat ignotus, neque à Periliano probatus; perperam inde inferri censet Schelstrate, quod illum velut figmentum S. Augustinus rejecerit, eò quod argumento negativo nihil inferatur. Marcellinus non erat Donatistis odiosus sicut Melchiades, nec ille unquam fuit iudex in causa, adeoque contra eundem

non excipiebant: sed Melchiadis auctoritatem elidere conabantur frivola fictione prætendentes, quod cum Marcellino chrificasset. *Hinc jam patet, prosequitur cit. Author, quam inaniter nostrorum temporum eruditi de confictione Marcellini lapsi victoriam canant, eamque tanquam Eadulam novellam à Divo Augustino habitam cunctis proponant, cum Divo Augustino hæc de re testimonium aut parum aut nihil urgeat.*

Verum enim verò Isthunum perfodit vitæ accuratissimus, S. Augustinus I. c. bene inferit Melchiadem esse innoxium, quia crimen Marcellini, quod Catholicis fuerat obiectum, à Donatistis necdum fuerat probatum; juxta illud. Tam diu habetur innocens donec probetur nocens. Hinc pariter sequitur, ut purum putum commentum esse habendum Melchiadis crimen, qui dicebatur Marcellini confors. Hoc posito S. Augustini auctoritas, quam Schelstrate non satis sufficienter considerari scribit, pro utriusque innocentia, Marcellini scilicet & Melchiadis æque militare videtur. Et quis credidisset Melchiadem *chrificatum* & officium reinuisse & post ad pontificatum promotum fuisset quem vel ipsi sectarii in privata sua causa negabant iudicem dignum constitui posse?

Melius ex allegatis inferretur, quod narratio non sit citimæ vetustatis, nedum sæculo IX. aut VIII. primò suborta, quin potius olim à caris Donatistis concepta, atque, quæ Christiani Lupi est conjectura, ab Iliodoro Mercatore, fœcundo apocryphorum parente demum adoptata & in verorum claustrum locata. Quidquid de eo sit, eruditissimi antiquarii non improbabiler sustinent, acta Marcelli ante tempora Constantini non fuisse contarcinata. Quantam liber interim vetustatem sibi vendicent, non ramen exinde vera & authentica habenda, licet etiam, Baronii arbitrio, non essent prorsus rejicienda. In ea non ineprè quadrabit sæpè hæc citati Augustini censura ingeniosa *Lib. 21.*



de civit. Dei, cap. 38. Quod in authoritate non essent, nimia fecit antiquitas; propter quam videbantur esse suspecta, ne praeferrentur falsa veris. Nam & praeferuntur quadam, quae ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim, quod volunt credunt. Nihilominus apud nonnullos sacrum illud antiquitatis praedictum tam altas egit radices, ut suspectum statim habeatur, quidquid ad illud labefactandum produciatur, nefasque volunt latum tantum unguem ab inveteratis traditionibus recedere. Quae mentis imbecillitas nonnullos adeo corripuit, ut supersticioso omnis novitatis odio abrepti, scripta recentiorum contra sententiarum indigna censeant, quae legantur. Ex quo non potest non sequi illud absurdum, quod scriptores neque lectos, multo minus examinatos, quantumcumque suam sententiam modeste ac egregie probantes ex nimia praecipitantia mox condemnent; dum modo a viris in autoritate quadam constitutis, quorum sententias, velut ex tripode Apollinis depromptis, caeco impetu subscribunt, novitates periculosa eis fuerint impacta. Quod si ergo in historiis veterum recensendis errant, reliqui cum illis errare sibi laudi ducunt. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, dum facundissimus & fecundissimus Annalium parens tom. 3. *Annal.* sic loquitur. *Resideat in throno suo gravis & veneranda, quantumlibet obsita pannis antiquitas, quae majestate sua ab invitis licet extorqueat reverentiam: sed etiam imperet jure suo, magna esse existimatione habenda quaeque revera monumenta, licet temporis appareant edacitate corrosa. Verum simplex nudaque veritas ex antiquis monumentis eruderata, suaeque fidei restituta rapit inventientium animos, ut eidem, vel inviti, praeter omni antiquitate palmam esse deferendam fateri debeant; Et alibi. *fura veritatis sunt ampliora omni vetustate; quippe quae nulla plurimum saeculorum valeat praescriptio-**

*ne ladi.* Mirum itaque Baronii ejusque perpetui affectu Binii animos a nuda veritate non fuisse raptos; sed Ecclesiasticarum tabularum veneratione inductos, centumculis involutam antiquitatem respexisse atque actis sine ulla veri speciem induere voluisse; quamvis triplici typo excusa & per Binium & Petrum Crabbe, quartaque Cresconianam Cardinalis producat. Quae olim in Marcellini Pontificis nomen surrexerat infamia, adeo tenaciter haeret, ut ad Nicolai tempora persisteret; cui ipse fidem adjungens, Imperatori scripsit ea, quae vulgo circum ferebantur. Neque tamen Nicolaus ideo quid commisit, quod summae dignitati suae probro verti posset. Tolerabilior siquidem est in hoc Pontifice talis aberratio, quam in alio praetensa illa superstitio exitialis. Quod in aliis quoque controversiis locum habere poterit, quando ad evictionem rei gestae adducuntur Romanorum Pontificum Epistolae, cujus nullitatem alii, severiores posteriorum temporum, critici invictis ostendunt argumentis. Sapientissime hic observat defœcati judicii Episcopus Canariensis Melchior Canus olim in Academia salmanticensi antecessor loc. com. *Lib. 21. cap. 3.* nimirum. *In maximo illi errore versantur si inquit, qui rerum gestarum memorias tanquam oracula accipiunt, si eas in Epistolis, & decretis suis Pontifices aliquando usurparunt. Non est idem, crede mihi, historia usurpatio, & approbatio. Utitur quidem interdum Pontifex si quidquam suadere cupit receptis opinionibus, sententis, rebus vulgatis: at non continuo, quaecumque in hunc usum attulerit, ex sedis Apostolicae judicio probat. Aliud quippe est suadentis munus, aliud desipientis. Qui pronuntiat res veras, ille adfert; qui suadet nonnumquam verisimiles. Ita imprudentium hominum erit historiae quaedam obiter etiam, & ad praesentem causam a Pontifice adductas, quarum non ha-*  
buit

huit nisi superficialem cognitionem, non aliter amplecti atque eas, quæ sunt per sententiam definitivam comprobata. Petrus Damiani in eo, quod credidit, credique voluit, dubitare nescivit; cuique in historiis non debet censei autoritas tanta, ut ab eo recedere nemini liceat. Fuit ipse melior Theologus, quam historiographus; qui maioris momenti rebus, pietati scilicet, animum intendebat: & quem ingens pro Ecclesia Dei zelus præpedivit, quo minus res à se relatas acuratori examini submitteret. Tam hic, quam alii posteri scriptores majori forsitan emolumento suum zelum demonstrassent explodendo sectariorum inane figmentum, quam defendendo Pontificis injudicabilitatem, de qua in antiquitatibus versatus dubitaverat nemo. Quasi verò veritas mendacis indigeret, & fabulâ confirmari deberet, de quo aliunde sat constat; quodque hoc nixum fundamento vacillare videbitur magis quam corroborari; quemadmodum versatissimus in annalibus Ecclesiasticis hujus ævi scriptor sagaciter animadvertit. Doctrina in his contenta veritati est consona, ut Petrus de Marca, Christianus Lupus &c. &c. Vel ultra concedunt, vel bene probant: & cum acta ab omnibus censeantur perantiqua, eorum collector non aliter, ac tempora ferebant, sed secundum sententiam communem sit locutus; inde perspicuum est primis sæculis fuisse receptam opinionem. Quod prima sedes à nemine judicetur. Imo in comperto est, id fuisse creditum, ac diu observatum, priusquam Rodolphus, Archi-Episcopus Mogunriensis ex Hispaniis acta illa in Gallias tulisset.

Samuel Basnage qui *Annal. Polit. Eccles. ad an. 296.* totis viribus Innocentiæ Marcellinianæ patrocinator ex hujus antiquitate traditionis, licet fabulosam dicat, aliquem fructum posse decerpere autumat, nempe persuatum olim fuisse Romanos Pontifices

posse in hæresim incidere. Quibus enim creditum, numinibus Marcellinum sacrificasse; illis quidem & in publicam hæresim Papam labi posse tueri necesse est, cum idolatria sit erroribus longè deterior. Verùm fructus ille nullo pretio est; quandoquidem, etiam admittenda narrationis veritate, nil inferitur contra sedis Apostolicæ prærogativam, quasi ab eadem hæresim procedere possit. Non negant hodieum orthodoxi omnes Papam, quo ad suam privatum personam, fidei erroribus esse obnoxium; sed, quæ Pontificem, hæresim docere posse cuncti inficiantur. Marcellinus non docuisset aliquid contra fidem, nec fuisset hæreticus, aut infidelis; nisi actu externo, ob merum mortis. Non erravisse in fide sed in professione fidei aliud egisset, aliud credidisset. *Qualiscumque fuerit Marcellinus, nihil prejudicat Ecclesie Catholicae toto terrarum orbe diffusa.* Rectè censet S. Augustinus. l. c.

Ad Secundum Respondetur quod magna quidem historis obvenerit autoritas, quando Officio Ecclesiastico, per sacram Congregationem permisso, inferuntur. Quod verò sic insertis falsum subesse nequeat, quodque earum veritas in dubium vocari non possit, aut ab iisdem graves ob rationes dissentire nemini liceat, nec ipse quidem Pontifex, aut Congregatio sacra prætendunt: quandoquidem hujusmodi historiarum in Breviario, aut Martyrologio Romano nequaquam ponuntur, ut fide divina credenda, neque tanquam res infallibiles; sed ut credibiliter gestæ feruntur, quo ad usque nihil solidi in contrarium producat, quod summum Pontificem, aut sacram Congregationem Rituum inducat, ut in alia Breviarii aut Martyrologii recognitione censeat omittenda. Quamquam in Martyrologio Romano (quod hic observandum veni) nulla Marcellini lapsus fiat mentio, in quo aliis Sanctorum acta, etiam probolâ

pariter

penitentia respiscendum deleta, referri solent. Solenter adnotat citatus Canus *Lib. 5. c. 5.* Non sat esse, ut Conciliorum & Pontificum iudicia firma esse credantur, in divino officio publice, à tota etiam Ecclesia, celebrare. Nec enim historia quibus Martyrum & Confessorum gesta narrantur, quamvis per summum Pontificem aut Concilium approbata sint, fidei decreta sunt. Ipsemet Cardinalis Baronius in prima annalium editione acta quæstionis habuit de suppositione suspecta, & ad annum 302. multa protulit contra Sacrificium idolis à Marcellino factum. Ad annum seq. plura adducit, quibus actorum, de condemnatione hujus Pontificis, fidem labefactare molitur: postea tamen, ut apparet in appendice ad an. 302. fortè ob speciem, quam præferebant utilitatis, conatus est illa à suspitione liberare, quatenus hoc modo latissat vehementissimis virorum Doctorum querelis de Breviario ac Martyrologio Romano, quod ista in Ecclesia recitanda contineat, quamquam sibi valde molesta, suadeatque non vanè leviterque à Breviarii Correctoribus & historiæ Recognitoribus fuisse relicta. Quæ tamen hæcenus abolita non sunt, aliquando abolenda non diffidimus; cum scilicet inter omnes convenerit de eorum falsitate; scribit Papebrochius in *Conat. Chronol. Dessert. 7<sup>ma</sup>*. Habeat hic locum Antiquissimi Origenis sententia in *cap. 6. Epist. ad Rom.* In Ecclesiasticis Observationibus sunt nonnulla, quæ cum omnibus facere necesse sit; eorum tamen ratio non omnibus patet. Constat satis etiam post Pontificum approbationem in reviso rursus Breviario quædam fuisse omissa: poterunt itaque alia atque alia ob rationes non levis momenti in speranda recognitione omitti. Gregorius XIII. emendationem decretorum à nonnullis Pontificibus Romanis olim susceptam, magnâ demum diligentia absolutam atque perfectam, ut præfatur, edicavit; Et tamen multa superesse in hoc ope-

re Gratiani correctione digna luculenter ostendit eruditissimus Antonius Augustinus *Lib. Dial.*, item celeberrimus Baluzius in not. ad Grat. Antonius Possévinus &c. &c. Quædam etiam inibi leguntur Baronio, Bellarmino &c. &c. supposititia, & apertè falsa: quæ nihilominus à Correctoribus, seu operis Recognitoribus minimè fuerunt improbata. Quid miri ergo si thurificatio Marcellini legatur *Distin. 21. cap. Nunc autem* Pariformiter itaque de nunc correctis Breviariis & Martyrologiis Romanis aliivè discurrere quis posse videtur: nimirum quædam inibi ex causa fortè non adeo cognita, fuisse haud quaquam expuncta, quæ tamen fabulosæ traditionis officinam in enunetis naribus redolent: quorum fors animos subit admiratio; quæ, ut Aristoteles docet, ex ignorantia causæ procedit; cur eadem non mutantur ab his, qui mutare possunt. Noverrint illi quod S. Chrysostomus *homil. 7. in 1. ad Corinth.* scripsit. Nihil adeo conturbat animum; etiamsi id fiat ob aliquid utile, quàm innovare & peregrinum aliquid facere, atque exterminare: maxime quando hoc factum fuerit in Dei cultu, religione seu opinione. Ex adverso alii meticulosi scandalizantur; & illa, quæ de Marcellini lapsu in Breviario leguntur, nunquam fuisse typis divulgata vellent, quod sanctæ Ecclesiæ inimicis tribuant insultandi materiam. Verùm occurrit Baronius & ait Quantumvis confesserimus id accidisse, nihil est tamen quod præjudicium adferat Catholice veritati. Quid enim, inquit Tertullianus, si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem obtinere?

Neque id mirum in Marcellino summo Pontifice fuisset, cum & Sanctus Petrus Apostolorum Princeps ter negaverit Christum jurando & anathematizando; & Marcellinus suum errorem agnoverit, atque cum Petro amarè fleverit, denique mortem pro

Christo etiam constanter appetierit. His & similibus scriptor, celeberrima cantatus laude per orbem, non tam argumentis de medio sumptis, quam excitatis in lectoris animo dextrè moribus, illum in suas molitur rapere partes, affectusque, quos vult in aliis, non tam exquisitis rationibus quàm flexanimi eloqui virtute potenter excitat, quos nemo facilius exprimit, quàm qui sentit. Qui soluto liberoque animo erit, is ad exactam considerantiam revocaris singulis, facillè deprehendet, quod quidem per demonstrationem antiquissima traditio certo ictu non feriat: nihilominus, quæ contra eam diriguntur machinæ illam valdè concutiant. Rei, quem non dabit discor-

dia, finem, ad acherontem Hypponensem delatæ, imponat ille, qui de *unico Baptif. cont. Petil. cap. 16.* ad ea quæ ab hoc Donatista sibi de Marcellino objiciebantur præcitatè respondit. *Facilius hæc dici quàm probari: Et utcumque hoc evicisset; nos aliorum bonitate non coronamur, neque aliorum iniquitate laboramus.*

